

et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum; et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.»

(12. Symbolum Apostolicum cœpit recitari in missa a tempore ipsorum apostolorum, ut tradunt Dionysius Areopagita, *De ecclesiast. hierarch.*, cap. 3. Durand., *De ritibus ecclesiastic.*, lib. II, cap. 24, n. 14. Barbosa, ad concilium *Trid.*, sess. III, n. 3, et alii (89). (13. Et idem Apostolicum Symbolum recitatum fuit in missa apud Romanos seu in Ecclesia Romana plus quam mille annis, hoc est usque ad tempora Benedicti VII, dicti VIII, qui metu divisionis aut schismatis, et precibus sancti imperatoris Henrici II jussit ad majorem ecclesiarum conformitatem, ut Romana Ecclesia in missa, omisso Apostolorum Symbolo, caneret Symbolum, quod Ecclesiæ Hispaniarum, et Galliæ canebant, id est Symbolum Constantinopolitanum cum illa additione *Filioque* in supradicto concilio Toletano contra errorem Græcorum facta. Sic Berno, *De rebus ad missam pertinentibus*, cap. 2; Baronius, ad ann. 447, num. 19; Sever. Binius, in Notis ad *Concil. i Constantinopolitan.*; Barbosa, *loc. cit.*, num. 3; Lupus, tom. II *Schol. ad synod. Nicæn.* cap. 4, fol. 13, n. 14; Ciaccon., in *Vitis Pontific.*, tom. I, fol. 759, et alii notantes quod Ecclesia Romana in missa per totum illud tempus retinuit ac recitavit Symbolum apostolorum, quia nunquam a fide apostolica aberraverat, et deinde ob supradictum motivum Symbolum Constantinopolitanum recitare incepit.

(14. In aliis autem ecclesiis loco Symboli apostolorum jam antea in missa cœperat recitari et cani Symbolum Nicænum juxta decretum sancti Marci Papæ, ut referunt Platina, in *Vita* ejusdem Pontificis; Ciacconius, in *Vita Pontif.*, tom. I, fol. 229, et alii id extendentes etiam ad Ecclesiam Romanam, et deinde Symbolum Constantinopolitanum ex decreto sancti Damasi Papæ I et mandato ejusdem concilii Constantinopolitani, ut notant Glossa marginalis in cap. *Canones* 1, distinct. 15; Archidiaconus, *ibid.*, num. 3; Pinell., lib. II *De Missa*, cap. 19 et 49, et alii id pariter extendentes ad Ecclesiam Romanam, quamvis tamen probabilius ex dictis *supra* num. 13, ipsa Ecclesia Romana retinuerit et recitaverit in missa

(89) In Romana Ecclesia, atque adeo in universo orbe Christiano apostolorum Symbolum non modo catechumenis traditum, postea ab iis ipsis reddendum, sed etiam ex veterum fidelium more recitari quotidie consuevisse, non dubitaverim. Non tamen auctori assentior, hocce symbolum ab ipso apostolorum tempore Romæ in missa recitari capisse, affirmanti. Certe Amalarius, lib. III *De Eccl. offic.* fuse singulas Romanæ missæ partes exponit, de Symboli vero cujuscunque, nedum Apostolici reci-

Symbolum apostolorum usque ad tempus Benedicti VII, dicti VIII.

(15. Consuetudo autem recitandi in missa Symbolum prius apostolorum, deinde Nicænum, et demum Constantinopolitanum asseritur a Durand., *De ritibus eccles.*, lib. II, cap. 24, num. 14; Anton., Possevin., in *Apparatu sacro*, verb. *Symbolum*; card. Petra, tom. I *Commentar.*, ad constitut. 2 Leonis Magni, num. 13, et ab aliis plurimis.

(16. Symbolum sancti Athanasii, quod incipit *Quicumque vult salvus esse*, ab ipso compositum fuisse traditur tempore, quo Romam a Julio Papa vocatus fuit, ut judicaretur; cum enim ibi Eusebianorum adventum per sesquiannum expectaret, hoc fidei Symbolum scripsit, ac tanquam catholicæ fidei suæ professionem publice edidit, quod deinde unacum actis Nicænae synodi, cui ipse Athanasius præsens interfuit, in Archivio Romano diu asservatum fuit, donec tandem post multos annos Ecclesiæ recitandum tradi meruerit. Baronius, ad annum Christi 340 et ad Notas in concil. Roman. II, tom. I, part. I, *Conciliorum*; Fagnanus, in cap. *Firmiter* 1, n. 33, *De summa Trinitate et fide catholica*; Reiffenstuel, lib. I. *Decret.*, tit. 1, n. 77. Ciaccon., in *Vitis Pontif.*, tom. I, fol. 233, litt. A; card. Petra, *loc. cit.*, n. 16, et alii. (17. Et quod tale Symbolum fuerit compositum ab ipso sancto Athanasio, testatur, ultra supradictos, Bellarminus, lib. *De scriptoribus ecclesiasticis*, § *De sancto Athanasio* circa finem; Hinemarus Rhemensis, qui anno Christi 848 floruit, ita de ipso statuit: « Sermonem Athanasii de fide, cujus initium est: *Quicumque vult salvus esse*, etc., memoriæ quisque commendet, et sensum illius intelligat. » Ayton episcopus Basileensis tempore Ludovici Pii, in suo *Capitulari* cap. 4 sic decernit: « Quarto, ut fides sancti Athanasii a sacerdotibus discatur, et ex corde die Dominico ad horam primam recitetur; » concilium Augustodunense editum anno Christi 670 ita sancivit: « Si quis presbyter, vel diaconus, vel clericus Symbolum, quod inspirante sancto Spiritu apostoli tradiderunt, et fidem sancti Athanasii præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab episcopo condemnatur. » Et ipsa Catholica Ecclesia testimonium perhibet, prædictum Symbolum sub nomine sancti Athanasii in divino officio recitandum proponens et mandans. Et sacra congregatio Rituum ipsum Symbolum sancti Athanasii appellat, dum expressis his verbis de ipso sic censet: « Symbolum sancti Athanasii, quod dicitur ad Primam, laudabilius in choro recitatur stando. » Dicta sac. con-

tatione tacet. Ordines quoque Romani genuini in et IV Hittorpii, uti et vetustissimus ille, quem Cl. Bianchini in Prolegomenis ad Anastasium t. III vulgavit, licet olim ad usum basilicarum Urbis exarati, non solum de omni Symbolo silent, sed nullum Symbolo recitandum in missa vacuum locum relinquunt. De usu Apostolici Symboli in officio nonnulla attingunt Emmanuel de Azevedo, *Exercitationum liturgicarum* decade IV, exercit. 51, et Zaccharia in *Onomastico Rituali*, t. II, pag. 161.

greg. Rituum 23 Decemb. 1624, apud La Croix, lib. VI, part. II, n. 2055, decret. 168.

(18. Nihilominus Cabassutius, *Notit. ecclesiast.*, sæculi II, dissert. 19, pluribus probat sanctum Athanasium non esse illius Symboli auctorem. Et Graveson. tom. III *Histor. ecclesiast.*, colloq. 4, pag. 367 et 368, primæ impressionis Romanæ hoc Symbolum inter opera dubia sancti Athanasii ponit, plurimasque rationes adducit variorum auctorum, qui hoc Symbolum sancto Athanasio abjudicant, dicitque, quod aliqui illud tribuunt Eusebio Vercellensi, alii Vincentio Lirinensi, nonnulli Athanasio Sinaitæ, alii anonymo theologo Gallo, qui Pipini vel Caroli Magni temporibus floruit. Et alii denique longe plures hoc Symbolum tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa episcopo acerrimo sub finem quinti sæculi fidei catholicæ defensori, qui multa opera scripsit, et non suo, sed sub antiquorum Patrum, præsertim sub nomine sancti Athanasii evulgavit; unde dicit ipse Graveson, quod difficile creditur non est, hoc Symbolum fuisse editum a Vigilio Tapsensi sub nomine sancti Athanasii, et postea tom. III, coll. 4, fol. 137, sic expresse habet: « Sed nunc convenit inter omnes viros eruditos, hoc Symbolum sancti Athanasii nomine inscriptum non esse genuinum illius fetum (90). »

(19. Symbolum in missa dicendum est diebus præscriptis in Rubricis Missalis, cap. 11, *De Symbolo*. Unde sac. Rit. congreg. in *Curien.* die 19 Junii 1700 expresse statuit, ut sequitur: « In festis sanctorum martyrum, confessorum et virginum, quæ celebrantur sub ritu duplici majori, non est dicendum Symbolum in missa, sed serventur Rubricæ generales Missalis Romani, capite 11, *De Symbolo*. »

(20. Item in festo translationis patroni principalis cathedralis sub ritu duplici majori, non potest in missa dici Symbolum, nec in ipsa ecclesia cathedrali, neque per totam diocesim: Ead. S. R. Cong. in *d. Curien.* 19 Jan. 1700.

(21. Quamvis cit. Rubrica Missalis, cap. 11, *De symbolo*, ubi declarat in festo patroni alicujus loci vel tituli ecclesiæ dicendum esse *Credo*, excipiat festum tituli alicujus capellæ vel altaris; talis tamen rubricæ exceptio intelligenda est de missis privatis, non vero de missa solemniori, ut recte explicat eruditissimus P. Merati, *ibid.*, n. 12, afferens ad id sequens decretum: « Symbolum in missa solemniori potest decantari in illa Ecclesia, ubi est altare erectum sub invocatione alicujus sancti ratione concursus ad præscriptum Rubricar. licet de eo fiat officium sub ritu semiduplici; » ut pro festo S. Antonii de Padua declaravit Sacra Rit. congregat. 1 Aprilis 1651, in *una Burgi S. Domnini*.

(90) Nemo uberius hanc de vero Athanasiani Symboli auctore questionem pertractavit, quam Cl. Emmanuel de Azevedo in nuper citata exercitatione 31, præsertim vero *Exercitationum ecclesiasticarum* secundæ partis exercitatione 20 cum Liturgicis ex Veneto Zattæ typographio a. 1783 in

Festum enim sancti Antonii tunc erat semiduplex, cum elevatum sit ad ritum duplicem pro Ecclesia universali a Clemente X, anno 1670, 18 Junii.

(22. Nomine festorum principalium ordinum, in quorum missis a supradicta rubrica de Symbolo, conceditur *Credo*, venire solent festa, quæ sub ritu primæ classis celebrantur, nempe fundatoris ordinis seu principalis tituli aut patroni. An autem sub eodem nomine principalium festorum ordinum comprehendantur etiam insigniores sancti cujusque respective ordinis, convertitur inter doctores; Guyetus enim et Bissus apud Merati *loc. cit.* n. 13, censent servandum esse in hoc casu legitimum eujuslibet ordinis usum, saltem quoad festa duplicia secundæ classis, hoc comprobante praxi fere omnium ordinum regularium, qui in festis suorum sanctorum secundæ classis Symbolum recitant; ipse autem Merati, *loc. citat.*, videtur sentire contrarium, etiamsi talia festa secundæ classis celebrentur cum octava, id probans exemplo S. Laurentii, quod licet celebretur, sub ritu secundæ classis, et cum octava ab Ecclesia universali, nihilominus quia sanctis martyribus non convenit *Credo*, idcirco in tali festo non dicitur *Credo*, nisi in ecclesia ejusdem titularis, ut patet ex communi praxi, ex decreto sacre Rituum congregationis, in *Perusina* 23 Martii 1709, ibi: « In die S. Laurentii titularis alicujus ecclesiæ cathedralis vel matricis nullius diocesis non est recitandum Symbolum Apostolicum in aliis ecclesiis ejusdem loci, sed tantum in ecclesia propria; » adeoque a fortiori, concludit ipse, concedi non debet *Credo* in festis sanctorum confessorum alicujus ordinis particularis, quamvis ab eodem celebrentur sub ritu secundæ classis, et cum octava; at vero donec aliter a Sede Apostolica, seu sacra congregatione definiatur, non videtur recedendum a priori Guyeti et Bissi aliorumque opinione fundata in communi praxi et consuetudine omnium fere ordinum regularium; cum consuetudo sit optima legum interpretis; cap. *Cum dilectus* 8, De consuetud. leg. *Si de interpretatione* 57, ff. *De legibus*. Imo consuetudo inveterata et legitime præscripta pro lege est observanda; L. *De quibus* 137, ff. *De legibus*, cap. *Cum tanto* 11, De consuet., cap. *Non est* 3, eod. in 6, cum similibus.

(23. Fatemur tamen quod, præcisa dicta communi praxi et consuetudine, in festis SS. martyrum, confessorum et virginum, seu viduarum aliarumque non virginum, non debet dici *Credo* juxta illud vulgare dictum *Muc non credit*, per cujus primam litteram *M* indicatur, non debere dici *Credo* in festis sanctorum martyrum; per secun-

luem emissarum p. 779 seqq. Quod ad hujus Symboli celebritatem maxime facit, nomen, quibus passim donatur, dignitas est, dicitur enim *fides catholica et textus fidei*, ut Zaccharia ostendit in *Onomastico Rituali* t. I, p. 144 et II, pag. 166.

dam *V* non debere dici in festis sanctarum virginum et viduarum; et per tertiam *C* non debere dici in festis sanctorum confessorum, nisi sint doctores Ecclesiae, et nisi praedicti omnes sancti et sanctae sint fundatores ordinis, patroni aut titulares ecclesiae seu in ipsa ecclesia habeatur eorum insignis reliquia, aut nisi talia festa venerint in Dominicis, et infra octavas festorum Symbolum habentium, ut recte ex aliis notat Merati, *loc. cit.*, n. 8 in fine. Et ratio est, quia ut docent Alexander Alensis, q. 10 *De sacrament. Eucharistiae*, § 9; Quarti, p. 1, tit. 11, *De Symbolo*, vers. *Ex quibus*, et alii, de ipsis nulla fit mentio in Symbolo, neque in ipsis locum habent motiva, quae de aliis in dicta Rubrica *De Symbolo* exceptis occurrunt.

(24. Prima enim ratio seu motivum cur dicatur *Credo* in variis ex ibi assignatis festivitatibus est, quia de ipsis fit aliqua mentio in dicto Symbolo, ut tradunt Innocentius III, *De mysteriis missae*, lib. II, c. 51; sanctus Thomas, III p., qu. 83, art. 4; Durand., lib. IV, cap. 25; Quarti, *loco cit.*, vers. *Prima ratio*; Gavanti, et Merati, *loco cit.*, Rubrica *De Symbolo*, et alii passim. Et ob id dicitur in omnibus Dominicis, quia dies Domini dedicati sunt in memoriam resurrectionis Christi et cultum sanctissimae Trinitatis, de quibus mysteriis fit mentio in Symbolo; quae ratio militat de omnibus festivitatibus Domini, de quo principaliter fit mentio in ipso Symbolo; sicuti fit de B. V. Maria, ac etiam de angelis indicatis per ly *Invisibilium*.

(25. Secunda ratio seu motivum cur dicatur *Credo* in aliquibus aliis ibi enumeratis est, ut docent S. Thomas, *loc. cit.*; Quarti, *loco cit.*, v. *Secunda ratio*, et, ipso teste, alii communiter, quia ipsi sancti vel primo Symbolum composuerunt, vel egregie fidem in eo contentam propagarunt praedicatione et doctrina; et ideo dicitur in festis apostolorum et evangelistarum; item in festo S. Mariae Magdalene, quae ex Innocentio III, *loc. cit.*, fuit apostolorum apostola. Item in solemnitatibus creationis et consecrationis summi Pontificis, et consecrationis episcoporum, quia ipsi sunt successores apostolorum; et in festis insigniorum doctorum, quia singulari sua praedicatione et doctrina plurimum fidem in Symbolo contentam propagarunt.

(26. Tertia ratio seu motivum tandem cur dicatur in reliquis aliis est, ut volunt Alexander Alensis, *loc. cit.*; Quarti, ver. *Tertia ratio*; Gutierrez, lib. III, cap. 28, quæst. 3; Merati, *loc. cit.*, nu. 4, et alii, quia tales sancti ob excellentiam auctoritatis, seu ratione solemnitatis, vel ob jus speciale in aliquam Ecclesiam aut locum hoc honore dignantur, ut eorum missae votivae solemniter pro re gravi aut pro publica Ecclesiae causa celebrentur; et ob id dicitur *Credo* in festo patroni et titularis ecclesiae, dedicationis seu consecrationis ejusdem, in festis fundatorum ordinum, ac in festis illorum, de quibus in ecclesia habentur insignes reliquiae.

(27. In festo S. Joannis Baptistae, quamvis sit primae classis et cum octava, non dicitur *Credo*, quia sanctus Joannes Baptista figurat legem veterem, et consummavit cursum ante promulgationem Evangelii et institutionem Symboli, ut tradit Quarti, *loc. cit.*, vers. *Opponi posset*; et in simili Durandus, lib. VII, cap. 14, n. 8 et alii. Quae ratio militat etiam pro festo S. Joseph, et aliis similibus. In festo autem S. Laurentii martyris, quamvis sit secundae classis et cum octava, non dicitur *Credo*, quia in ipso non habent locum supra assignatae rationes, et motiva dicendi Symbolum, nec adest ad id praxis, ac legitima consuetudo, cum potius universalis ecclesia in ejus festo illud omittat, sicut illud omittit in festis S. Stephani et sanctorum Innocentium, si caderent extra octavam Nativitatis Domini, sicuti de facto omittitur in die octavae Innocentium currentis extra dictam Octavam.

(28. In missa patroni minus principalis non debet dici *Credo*. Sac. Rit. Congr., in *Beneventan.* 2 Decembris 1634, et in *Lycien.* 15 Septemb. 1691.

(29. Sola ratione SS. sacramenti expositi non est dicendum Symbolum in missis privatis. Sac. Rit. Congr., in *una Canonico. Regul. Lateran.* 2 Decemb. 1684. Et idem statuitur in Instructione Clementis XI et XII pro expositione SS. Sacramenti occasione 40 horarum § 10.

(30. Dum in missa solemniter canitur *Credo*, non debent pulsari organa. Concil. provincial. Mediolanens. tert. apud Gavanti, in *Manual. episc.*, ver. *Missae conventualis* sub n. 22, ibi: « Symbolum totum canatur a choro, non alternatim cum organo. » Sic etiam *Ceremonial. episcoporum* lib. I, cap. 28, ac *Ceremonial. ordinis Minor.* part. IV, c. 9, quod tamen, *ib.*, n. 7, subjungit: Quod si numerus cantorum seu Fratrum sit modicus, poterit alternatim cantari a choro et organo sonante, duo cantores legant alta et intelligibili voce, quae a choro non cantantur, ut sequitur ac docet etiam Simon Buongiovanni, in *Sacrarum Ceremoniarum Silva*, lib. II, cap. 10, vers. *Quod si*. In hoc enim casu subintrat necessitas, quae facit licitum, quod alias est illicitum, cap. *Quod non est illicitum* 4, De regul. jur., cap. *Omnes* 1, De fer., cap. *Consulisti* 3, De celebr. missar. cum non subjaceat legi necessitas, cap. *Consilium* 2, De observat. jejun., cap. *Sicut* 11, De consecration., dist. 1, cum multis similibus. Celebrans autem, dum canitur *Credo*, non potest prosequi missam. Sac. Rit. Congr. in *Beneventana* 13 Septembr. 1670, et in *Januen.* 17 Decemb. 1695.

(31. Symbolum in qualibet missa, etiam pro defunctis, recitatur a Graecis, eumque morem servari a monachis Ordinis S. Basilii jubet Benedict. XIV constitutione incip. *Quem religioni sensum*, § 6. Symboli recitatio in missa a Graeca ad Latinam Ecclesiam traducta est. Idem Constitut. incip. *Allatae sunt*, § 28. (32. Symbolum idem sine additamento *Filioque* a Graecis et Orientalibus quandoque recitari permisit Apostolica Se-

des, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout diversae facti circumstantiae exegerunt. Idem, *ibi.*, § 10. (33. Symbolo autem Nicæno non solum licuit, sed et deicit superaddere particulam *Filioque*. Hinc non modo Patres concilii *Zamosch.*, tit. 1 *De fide Catholica*, sed etiam Patres concilii

SUMMARIUM.

1. *Syndicus* Graece idem est ac Latine *defensor*. — 2. *Syndicus* proprie acceptus quid sit. — 3. *Syndicus*, quamvis generaliter acceptus conveniat cum procuratore generaliter accepto, tamen proprie et stricte acceptus distinguitur a procuratore proprie dicto et accepto, et quare. — 4. *Syndicus* proprie captus distinguitur etiam ab actore, et quare. — 5. *Syndicus* proprie captus distinguitur etiam ab administratore seu oeconomico, et quare. — 6. *Syndicus* quomodo sit constituendus? — 7. Consultius est, ut religiosi pro causis sui monasterii non sint ipsi *syndici*, sed potius aliquem extraneum procuratorem generaliter, seu *syndicum* constituent. — 8. Attamen, exigente utilitate sui monasterii, possunt religiosi ipsi esse *syndici*. — 9. In ordine Minorum ex concessione plurimorum Pontificum pro unoquoque conventu constituitur unus *syndicus* Apostolicus. — 10. Sed prius concesserunt Nicolaus III et Clemens V, et quomodo. — 11. Deinde ad facilius et commodius esse, specialem pro unoquoque conventu concesserunt Martinus IV et V, ac Paulus IV. — 12. Haec secunda concessio non est contraria primae, et hi speciales *syndici* parificantur cum substitutis dantium seu donantium. — 13. Horum *syndicorum* usus nullatenus repugnat observantiae puritatis Regulae, nec est dispensatio in ipsa. — 14. Modus utendi *syndico* ad praescriptum Martinianae et Paulinae est facilius et tutior pro unoquoque conventu; imo non habens hujusmodi *syndicum* ponit se in periculo transgrediendi Regulam. — 15. *Syndici* Apostolici deputantur pro toto ordine a generali; pro provinciis, ac custodiis, ac conventibus sibi subjectis a provincialibus, et respective custodibus; vel etiam a guardianis de expressa praetoratorum licentia. — 16. Etiam procurator et commissarius generalis Curiae Romanae possunt *syndicos* pro ipsorum respective officio deputare. — 17. Non possunt a dictis superioribus deputari plures *syndici*, sed unus duntaxat pro unoquoque conventu. — 18. Unus *syndicus* potest deputari etiam pro hospitio habente suum praesidem, et unus a superiore generali pro religione et a provinciali pro provincia. Quod idem currit pro infirmariis rectis distincto regimine ab illo conventu. — 19. Non possunt autem dicti superiores deputare alios *syndicos* pro religiosis particularibus. — 20. Imo fratres privati nec de licentia superiorum possunt habere apud *syndicum* conventus pecunias a massa communi separatas. — 21. Nec frater particularis sine vera necessitate et licentia superioris, potest uti pecunia sponte deposita pro ipsius indigentis ab amico spirituali apud *syndicum* tanquam suum substitutum, et retento sibi dominio. — 22. Posita tamen vera necessitate et negligentia superioris, in ministrando necessaria, potest frater subditus, nedum in tale depositum sponte oblatum consentire, sed suis indigentis providere, etiam per recursum ad amicos spirituales, dummodo servet modificationes per de-

(1. *Syndicus* Graece idem est ac Latine *defensor*. Sic notant communiter doctores in c. *Sicut studii* unic., De *syndico*. (2. Unde *syndicus* proprie acceptus est ille, qui consti-

Libanensis part. I, cod. tit. 11, provide ac recte statuerunt ut sacerdotes omnes eorum legibus subjecti Symbolum juxta consuetudinem Romanae Ecclesiae, cum particula *Filioque* usurpent. Idem, *ibid.*, § 60.

(34. Alia ad rem. Vide verb. *Missa*, art. 12 et 13.

SYNDICUS.

clarationes Pontificias praefinitas. — 23. Quanam autem sint dictae Pontificiae modificationes observandae, et pro quibus necessitatibus possit a Fratribus pro pecunia haberi recursus ad amicos spirituales? *remissive*. — 24. Bona *syndici* sunt tacite hypothecata pro securitate elemosynarum, et ex ejus bonis debet damnum a se causatum reparari. — 25. Habet ad id novus *syndicus* actionem contra ex-*syndicum* et ejus haeredes. — 26. Coram quo iudice possit et debeat ad id conveniri. — 27. *Syndicus* Apostolicus debet admitti in concursu creditorum adversus ex-*syndicum* decoctum, vel ejus haeredes, et adversus alios veros debitores. — 28. Possunt conventus praeter *syndicum* habere etiam substitutum, et etiam plures, prout opus fuerit: substituti autem seu substitutorum deputatio fieri debet a *syndico*, et non a Fratribus, ad n. 29. — 30. Non possunt Fratres a *syndicis* computus juridicos exigere. — 31. Possunt tamen generales et provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos *syndicos* removere, aliosque subrogare seu constituere. — 32. Sine dicto procuratore vel substituto nihil emi aut vendi potest; nec guardianus elemosynas pecuniarias tenere potest in manu alterius, nisi in manu *syndici* vel substituti de ejus licentia. — 33. *Syndici* Apostolici, seu procuratores Fratrum Minorum amplissimam habent facultatem, quae assignatur. — 34. Non possunt tamen alienare mobilia pretiosa ecclesiae incorporata sine beneplacito Apostolico; nec alias res vendere sine praevia affixione edictorum, ut venditio fiat majori oblato. — 35. *Syndici* Apostolici gaudent privilegio fori in causis civilibus, criminalibus et mistis, motis et movendis. Et afferitur ad id constitutio Clementis VII. — 36. Afferitur etiam constitutio Innocentii XI, qua confirmantur in forma specifica decreta variarum sacrarum congregationum emanata super exemptione praefatorum *syndicorum*. — 37. Dicti *syndici* Apostolici non possunt compelli ad exercenda munia publica communitatis, nec conveniri, nisi coram iudice conservatore. — 38. Tales *syndici* gaudent privilegio fori sunt exempti a repraesaliis. — 39. Subnectuntur hic varia decreta sacrae congreg. Immun. ad rem facientia, usque ad n. 60. — 61. Unus tantummodo *syndicus* pro unoquoque conventu gaudet praedictis Apostolicis privilegiis. — 62. *Syndici* Apostolici in praesenti tenentur ad onera communitativa. — 63. Ecclesiastici assumpti in *syndicos* Apostolicos non sunt exempti a jurisdictione ordinarii. — 64. *Syndici* Apostolici non comprehenduntur in decreto, quod saeculares non pernoctent in conventibus Fratrum Minorum. — 65. Soli *syndico* Apostolico, et non Fratribus Minoribus de Observantia, seu Reformationis, licet exigere in iudicio legata. — 66. *Syndicus* Apostolicus nequit habere dominium et possessionem census relicti dictis Fratribus. Nec dicti Fratres nomine *syndici* possunt retinere bona stabilia, census aliosque annuos redditus. — 67. Dictus *syndicus* in concernentibus correctionem morum, non est exemptus a jurisdictione ordinarii.

tuitur ab aliqua universitate seu collegio; vel capitulo ad negotia illius pertractanda, ac potissimum ad causas et lites illius in iudicio persequendas. Sic in re Commu-